



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

7. Quid agendum sit si duo vel plures in eodem lecto peste infecti  
decumbant

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

## ARTICULUS VII.

*Quid agendum sit si duo vel plures in eodem lecto peste infecti decumbant.*

**C**asus iste satis frequenter potest contingere, aut in publicis Xenodochijs, aut privatis pauperum tugurijs; Inquiritur ergo an si alii furgere non possint, aut ab invicem tantisper separari, aliis audientibus confessio debeat fieri?

Certum est id ratione Sacramenti nunquam exigi, cum ipsum ex naturâ suâ & institutione petat esse secretum, & nullatenus Publicum. Ac proinde non peccabit contra præceptum confessionis qui aliter quam sic confiteri non potest. Aliundè tamen fieri potest ut peccet, dum non satis sibi fidit de eligendo actu perfectæ contritionis, quæ sola sine Sacramento pœnitentiæ potest à peccatis liberare. Sufficiet tamen unum aliquod peccatum confiteri, quod sufficiens sit pro Sacramentali absolutione, in vi cuius reliqua peccata indirectè absolvantur.

Idem dicendum est si simul multi sint in extremo periculo in aliquo Xenodochio, aut loco communi, qui singulatim audiri non possunt. Tunc enim simul omnes audiri possunt aliquod peccatum proferentes, & sic simul

omnes

omnes absolvi, uti dici solet in naufragio, aut inopinato conflictu, aut simili aliqua necessitate.

### ARTICULUS VIII.

*Utrum peste infectis Viaticum sit administrandum cum vitæ periculo.*

**Q**uia non est tanta necessitas Sacramenti Eucharistiæ, quanta est Baptismi & Pœnitentiæ, aliquibus visum fuit ad hoc Sacramentum administrandum nullam esse in Parochis aut Missionariis obligationem, saltem cum tam magno vitæ periculo, quod in tali casu non potest non timeri. Nemo autem tenetur etiam ex officio, vitam corporalem exponere, nisi pro salute spirituali proximi: quæ salus ab hoc Sacramento non dependet, cum non conferat per se, sed præsupponat instrumentum primam gratiam justificantem. Quod confirmari potest ex declaratione facta jussu Gregorij XIII. ex petitione S. Caroli Borromæi supra relata articulo 4. ubi tantum fit mentio Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ, quod ista debeant peste infectis à Parochis ministrari. Cum igitur nulla fiat mentio Sacramenti Eucharistiæ, non videtur esse ipse cum tanto vitæ periculo, obligatio. Pro quâ sententiâ citat Dianap. 3. tract. 4. de Sacramentis.  
Reso-